e-codices

XIIII Nunc quis modus audiendi sit disseramus. Tale enim quiddam fieri consuevit in vocibus quale cum paludibus vel quietis aquis iactum eminus mergitur saxum. Prius enim in parvissimum orbem undam colligit, deinde maioribus orbibus undarum globos spargit, atque eo usque dum fatigatus motus ab eliciendis fluctibus conquiescat, semperque posterior et maior undula pulsu debiliore diffunditur. Quod si quid sit quod crescentes undas possit offendere, statim motus ille revertitur et quasi ad centrum unde profectus fuerat eisdem undulis rotundatur. Ita igitur cum aer pulsus fecerit sonum, pellit alium proximum et quodammodo rotundum fluctum aeris ciet, itaque diffunditur et omnium circum stantium simul ferit auditum. Atque illi est obscurior vox qui longius steterit, quoniam ad eum debilior pulsi aeris unda pervenit.

XV DE ORDINE THEOREMATUM ID EST SPECULATIONUM.

His igitur ita propositis dicendum videtur quot generibus omnis cantilena contexatur, de quibus armonicae institutionis disciplina considerat. Sunt autem haec diatonum, chroma, armonia, de quibus tradendum explicandumque est, si prius de tetrachordis disseramus, et quemadmodum auctus nervorum numerus quo nunc pluralitatis est usque pervenerit. Id autem fiet, si prius commemoremus quibus proportionibus symphoniae musicae misceantur.

XVI DE CONSONANTIIS PROPORTIONUM

Nam si vox voci duplo sit acuta vel gravis, diapason consonantia fit. Si vox voci sesqualtera proportione sit vel sesquitertia vel sesquioctava acutior graviorque, diapente vel diatessaron vel tonum consonantiam reddet. Haec si diapason in duo et quatuor et diapente ut sex et iiii coniungunt, triplam quae est diapason et diapente efficient symphoniam. Quod si bis diapason fiant ut ii et iiii et iiii et viii, quadrupla fiat consonantia, quae est bis diapason. Quod si sesqualtera et sesquitertia, id est diapente et diatessaron, ut ii ad iii et iii ad iiii coniungantur, dupla, id est diapason, nimirum nascitur concinentia. Quattuor enim ad iii sesquitertiam obtinent proportione, tres vero ad binarium sesqualtera conlatione iunguntur, et idem quaternarius ad binarium adpositus dupla comparatione copulatur. Sed sesquitertia diatessaron, sesqualtera proportio diapente consonantiam creat, dupla vero diapason efficit symphoniam. Diatessaron igitur ac diapente unam diapason concinentiam iungunt.

License: CC-BY-NC – Einsiedeln, Stiftsbibliothek, Codex 298(119), p. p.%2034 – Boetii geometria et musica
(http://www.e-codices.ch/en/sbe/0298/p.%2034)